AUGUSTINUS
12. Jh. Seite 98r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26123
Copyright: Admont, Benediktinerstift



dimittam uobis regem iudeorum. Sed quia reges christos dicebant.
& qui dixerunt illum an illum. manifestum est eum quesisse. an
uellent dimitti sibi regem iudeorum idem xpm. Nichil interest
sententie quod hic tacuit. marcus de barraban. hoc solum uolens
dicere quod ad dnm pertinebat. quanquidem in eorum responsione
satis & ipse ostendit. quem sibi dimitti uoluerunt. Pontifices
inquit concitauerunt turbam ut magis barraban dimit
teret eis. Sequitur autem & dicit. Pilatus autem iterum respondens
ait illis. Quid ergo uultis faciam regi iudeorum. Unde satis ap
paret. quod id marcus uelit ostendere dicendo. regem iudeorum.
quod matheus xpm. Non enim dicebantur xpi reges. nisi dicendo
iudeorum. Namque in eo etiam loco matheus ait. Dicit illis pilatus.
Quid igitur faciam de ihu qui dicitur xpc. Ergo sequitur marcus.
At illi iterum clamauerunt. Crucifige eum. Quod ille ait.
Dicunt omnes. Crucifigatur. Et sequitur marcus. Pilatus uero dicebat
eis. Quid enim mali fecit. At illi magis clamabant. Crucifige eum.
Hoc matheus non dixit. Sed quoniam dixit uidens autem pilatus quia
nichil proficeret. sed magis tumultus fieret. dixit eum lauasse
manus coram populo. ut innocentem se a sanguine iustificaret.
quod & marcus & alii tacent. satis ostendit etiam matheus
id egisse presidem cum populo ut dimitteretur. quod breuiter
significauit marcus in eo quod refert pilatum dixisse. quid enim
mali fecit. Deinde sic etiam concludit que per pilatum cum
dno gesta sunt. Pilatus autem inquit uolens populo satis facere.
dimisit illis barraban. & tradidit ihm flagellis cesum. ut
crucifigeretur. hec apud presidem gesta narrauit marcus. Lucas
apud pilatum gesta sic narrat. Ceperunt autem accusare
eum dicentes. hunc inuenimus subuertentem gentem nram
& prohibentem tributa dari cesari. & dicentem se regem xpm esse.